



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Notæ In Notas Willelmi Wendrockii Ad Ludovici Montaltii
Litteras, Et In Disquisitiones Pauli Irenæi Inustæ**

Fabri, Honoré

Coloniæ, 1659

Nota III. De occulta Compensatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39536

N O T A III.

De occulta Compensatione.

Hoc loco * Baunium fugillas, eò quod dixerit, famulum, cui alia via non patet, modò scandali periculum absit, justâ & occultâ compensatione uti posse. Auctor, qui vestras imposturas collegit, à te citatus *impost.* 12. Baunium ab illa calumnia vindicat: vestram fidem desiderat, cum ipsam quæstionem pro responsione afferatis, quod jam aliàs in cuncta Theologia Morali (quæ Burdigalæ, justo Parlamenti Decreto, carnificis manu lacerata est; ut litteræ Montaltii, haud absimili Aquensis Parlamenti edicto, flammis addictæ) à vobis factum fuerat. Sententiam demùm Baunii communi Doctorum calculo donatam, Navarri, Cordubæ, Petri de Navarra, S. Antonini &c. immò & Patrum suffragio, Tertulliani, Augustini &c. instructam esse demonstrat; adhibitis scilicet iis conditionibus, quas ipse Baunius cum aliis omnibus præscribit. Ad hunc auctorem vos remitto.

Israelitarum exemplum, Ægyptiorum bona surripientium, infirmare conaris, * ac dicis, Hebræos in ea jus habuisse, propter acceptas ab Ægyptiis injurias. Sed numquid injuriam famulo Herus non infert, quem justo salario iniquè privat, de quo scilicet convenierat, vel quod justè debet, ut supponitur? Nisi enim Herus débeat, famulus nullum jus habet. Jam aliàs ad Censuras illas tuas Parisiensem & Lovaniensem à me responsum est: recoctam crambem sæpè ac sæpiùs apponis. Ne quid à me frustra repetatur, quæ jam in simili objectione à me dicta sunt, huc etiam

trans-

* Pag. 156.

124 In Dissertationem Theolog. de Perpetuitate Canonum.
transferri à te desidero. Veneror, oscular clarissima-
rum Academiarum judicia, eaque maximi facio; mo-
dò sincera sint, sine factione ac tumultu edita: nemo
tamen ea esse putet, quæ numquam errori subjaceant.
Ab exemplis abstineo: Odiosa res est: per te mihi ta-
cere liceat, ne quid à me dicatur, quod displiceat.
Uno verbo dico: Parisiensem & Lovaniensem vene-
ror, sed Sanctæ & Apostolicæ Sedis judicium ut à
me, atque ab omnibus verè Catholicis præferen-
dum censeo, ita eodem omnino standum esse, pro-
fiteor.

In septimam Epistolam.

NOTA UNICA.

De directione Intentionis.

Hic paulò liberalius nugas tuas nobis vendi-
tas: Doctorem agis sine doctrina, Theolo-
gum sine Deo, Moralem Philosophum sine
bonis moribus: Jesuitas inscitiae ignorantissimus ipse
accusas, nequissimus malitiæ, erroris hæreticus,
fraudis & dolie egregius sycophanta. Sed te remitto ad
Apologistam, *impost.* 24. qui tuum illum scurram,
egregiè ac pro meritis exceptit. Quod hīc de tuo sub-
jicis, vel potius de Parochorum, aut certè, ut verius
dicam, Regio-portuensium scriptis, satis futile ac
frivolum est. Prima Moralis Theologiæ rudimenta
perinde atque abstrusa mysteria, & divina Patrum
oracula fundis. * vis primò intentionem generatim
nihil esse aliud, quam finem cuique in singulis propo-
situm. O grandem & profundum Theogum! quasi
verò intentio finis ipse sit, non verò actus, seu mo-

* Pag. 173.

tus